

ricum, qui eandem hereditatem, quoad vixerunt, quiete possederunt. Sed comes Fridericus eum a questione summovit. Ista namque Ida, nobilis femina de Suevia nata, in villa Elsthorpe manens, hereditatem habuit, que adhuc hereditas Ide dicitur. Hec fuit filia fratris imperatoris Heinrici III, filia quoque sororis Leonis pape, qui et Bruno.

Hec nupsit Lippoldo, filio domine Glismodis, et peperit Odam sanctimoniam in Rinthelen, quam postea clauastro absoluit, recompensans villam Stedethorp prope Heslinge pro filia, et tradidit regi Ruzie, cui peperit filium Warteslaw. Sed rege mortuo Oda infinitam pecuniam in oportunis locis sepeliri fecit et in Saxoniam rediit cum filio et parte pecunie, et sepultores occidit, ne proderent. Et cuidam nubens peperit filiam Aliarinam, matrem comitis Burchardi de Lucken, quem postea lantgravius Hermannus de Wincenburg in dolo occidit, cum esset vassallus suus. Warteslaw autem revocatus in Ruziam pro patre regnavit et ante obitum suum recuperavit pecuniam, quam mater absconderat.

Habuit etiam Ida filium Ecbertum comitem, quem primus Udo marchio Wistede prope Elsthorpe occidit, cum tamen esset cognatus suus. Ida vero orbata heredibus Romam profecta est ad avunculum suum papam Leonem, et salubribus monitis dimittendi debitoribus suis debita ab ipso instructa rediit Elsthorpe, plenarie Udoni dimittens iniuriam de nece filii, et ut quietius suis posset uti possessionibus, ipsum Udonem suum fecit heredem, adoptans eum in filium — — —

Ida vero duos maritos habuit absque Lippoldo, scilicet Dedonem comitem et comitem Ethelerum Album, quorum uterque in Thietmarschia occisus est, cum esset ibi comes. Alter eorum de Ida genuit filiam Rikencen, quam duxit comes Eilmarus de Aldenburg genuitque ex ea filium Eilmarum, sicut predictum est. Item Ida peperit Akarinam, matrem Burchardi de Lucken. Item Ide filius fuit Burchardus, Treverensis maior pre-

